

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

III. De ministerio angelorum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

tionem, per desiderium, per bonam voluntatem recompensat, licet ejus anima non tam fortiter in amore serveat Creatoris. » « O contemplatio, tu prævidisti quod spiritus Seraphim et filii et famuli Dei sunt; anima autem Christiana<sup>1</sup> filia Patris, soror Filii et Spiritus Sancti est amica, et vere sanctæ Trinitatis sponsa. » His in statera appensis, quid præponderet videamus: Angelum *magni consilii*, Jesum Christum, qui unus cum Patre super omnes Angelos est, ego [pauper-cula anima] intimis meis complector brachiis, ejusque carnem manduco et sanguinem bibo, pro modulo meo; quod non possunt Angeli. Eo modo quoque divinitatis participatione anima mea et omnis corporis mei sensus sanabuntur; ideo nequaquam Angelicorum Spirituum beatitudini invidebo.

### III. DE MINISTERIO ANGELORUM.

VI. 41.

**C**OGITIS me ulterius scribere, sed non possum; nam deliciae, honor, claritas, amicitia, veritas, sic meam intelligentiam excedunt, quod prorsus obmutesco et obstupesco, nec eloqui valeo quod cognosco. Verumtamen est in cœlis in uniuscujusque hominis pectore speculum summæ Trinitatis, cujus splendores penetrant adeo ut cognoscantur corporis opera gratuita, animæque dona spiritualia, quæ accepit. In hoc splendore fulgido retulget Filius in Patre, et Spiritus Sanctus in utroque; fulgor autem Angelicus amoris micat lumine; amant enim nos, nostramque promovent salutem, absque labore serviunt, crescitque eorum præmium quousque stat hoc sæculum. [Verus Deus amor eandem virtutem in Angelis quam in hominibus possidet; nos vero cum labore servimus, quapropter in peccatum defectibiles sumus.]

<sup>1</sup> Cf. *Legatus*, Lib. III. c. 9.